

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08. Telecop. (02) 735 51 32

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT - [guy.licoppe@pophost.eunet.be](mailto:guy.licoppe@pophost.eunet.be)

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

*In annum novum omnia quaeque bona  
vobis exoptat Melissa*

*... Mundus noster non habet 1997 annos,  
sed multa plures; quid de nostris  
originibus?*

☞ p. 2

*... Quo modo mundus noster natus est?*

☞ p. 3

*... De creatione mundi alii alia cogitant;  
ecce (sulfureae?) cogitationes alche-  
misticae.*

☞ p. 4

*... Ab oblivione vindicatur Balduinus  
Cabillavius poeta septimi decimi saeculi.*

☞ p. 6

*... Cavete diabolum! Ecce altera pars  
fabulae terrificae.*

☞ p. 9

*... Iamne conati estis pluribus simul  
vocibus canere? Fieri potest!*

☞ p. 14



# NUM UNIVERSUM SIT CREATUM AN INCREATUM

SCRIPTISIT GAIUS LICOPPE

**I**nter sessionem Latinam Bruxellis in Domo Latina die 8 m. Novembris habitam in utramque partem disputatum est de argumento, quod est hoc: «Homines et mundus, quo circumdantur, creveruntne fortuito an oriuntur e quadam creatione?»

Mihi est enchiridion scholare, quo pater usus est ineunte hoc saeculo. In Belgica anno 1898 editum, destinabatur classibus inferioribus cycli secundarii. In primo capitulo legitur veram scientiam et Vetus Testamentum inter se congruere, omnes homines ab Adam et Eva ortos esse, mundum anno 4.004 a.C.n. a Deo creatum esse, diluvium universale anno 2.400 a.C.n. accidisse et alia multa...

Estne nunc temporis subridendum de talibus affirmationibus? Utcumque res se habet, miranda est conclusio Instituti Gallup, quod anno 1996 publicam opinionem Americanam scrutatum est. Inde enim patet dimidiam fere partem incolarum Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis certam ducere Genesis narrationem atque credere hominem ante circiter decem milia annorum a Deo talem creatum esse, qualis nunc est.

Aequales nostri, qui novissimis scientiarum naturalium inventis sunt imbuti, bene sciunt talem universi originem, qualis in Genesi narratur, impossibilem esse. Itaque Christiani docti, qui Sacram Scripturam respuere nolunt, dicunt eius textus non ad litteram esse accipiendos. Hunc cogitandi modum explicabit Robertus Deprez, medicus, in proximo Melissae fasciculo.

Adhuc sunt inter aequales nostros homines, qui hermeticae alchemistarum doctrinae initiati sint. Communia vocabula in eorum mente sensum esotericum habent. Quid de creatione censeant in hoc fasciculo explanat Stephanus Feye.

Astrophysici hodierni ante nonnulla decennia novum schema proposuerunt ad universi ortum describendum. Quod schema Francisca Deraedt in hoc fasciculo adumbrat verbis simplicibus, quibus utuntur homines mathematicae eruditionis expertes.

Fatendum est et Genesis narrationem et novissimum schema, quod «Magnam Displosionem» (Angl. Big Bang) vocant, aequae inintellegibilia videri plerisque mortalibus. Sed ipsi astrophysici in formam mathematicam redigere



nequeunt prima temporis puncta illius Magnae Displosionis. Quid de natura primordialis puncti, quo secundum hanc theoriam continebatur cuncta Universi energia? Patet curiositatem physicorum non expleri subtilissimis novissimisque schematibus, quae ipsi excogitaverunt. Non mirum ergo si nonnulli ad metaphysicas cogitationes accedunt et fiunt gnostici<sup>1</sup>. Qui neognostici adhuc videntur, ut olim Lucretius Memmum, quendam Memmum alloqui tam aeternum quam humana debilitas.

Ad concludendum interrogare licet, in quo inter se dissentiant deicolae et athei. Iocose respondere possumus: «Utrum oportet Deum nuncupare Deum, an ei aliud nomen dare?»

<sup>1</sup> Cfr. R. RUYER, *La gnose de Princeton. Des savants à la recherche d'une religion*, Parisiis, Fayard, 1974.

# UNDE ORTI SIMUS

SIMPLICISSIME EXPLICARE CONATUR FRANCISCA DERAEDT

**U**nde sumus oriundi? Cur vivimus? Quid agimus? Quo imus? Multis de causis vivimus in nostra bona terra. Prima causa haec est, quod aliquando facta est ingens displosio.

Ante quindecim fere miliarda annorum nihil fuit. Tunc, nemo scit cur, aliquid subito accidit: ingenti displosione, quam Big Bang vocant, liberatur incredibilis energia, quae energia gignit et tempus et spatium et materiam, i.e. condiciones necessarias ut terra post decem annorum miliarda possit formari. Intra brevissimum momentum temporis omnia incohantur. Universum est densissimum, plenum lucis particularum, quae satis magnam energiam habent, ut ab nihilo creent elementa materiae et antimateriae. Quae inter se initio ita luctantur, ut in utraque parte tot clades sint quot victoriae. Denique, Deus scit cur, materia praestat et antimateriam devincit intra paucas secundas. Mundus tunc praebet aspectum pultis cosmicae et calidissimae (sunt enim complures miliones miliardorum miliardorum Kelvinorum), in qua primi nuclei formantur. Haec puls postea dissolvitur et frigescit.

Per unum milionem annorum, aspectus locorum non multum mutatur: semper idem oceanus lucis, magis magisque frigidus. Cum temperatura descendat sub limitem 4.200 Kelvinorum, electrona, protona et nuclei congregantur in levia atoma, optima fundamenta galaxiarum. In refrigerata pulte cosmica globuli apparuerunt, qui propter gravitationem ita miscentur et coacervantur, ut paulatim fiant galaxiae et stellae. Sub impetu energiae primordialis, galaxiae aliae alias fugiunt. Intus gravitas operatur, nubes hydrogenii et helii condensat, temperaturam auget, reactiones thermonucleares creat mediis in sphaeris gasicis. Hic illic astra accenduntur, in quibus fusione finguntur elementa gravia, sicut oxygenium, carbonum et ferrum. Hae stellae aequilibrium suum debent duabus viribus oppositis, quae sunt gravitatio et pressio radiationis. Maximae ex eis disploduntur; hae sunt «supernovae», quas vocant: donum caeli sine quo terra et eius octo sorores numquam exstitissent in suburbio nostro galactico. Propter effectus contrarios gravitationis et agitationis thermicae nascuntur astra et sol noster, tam velox et tam calidus ut non longe absit

quin displodatur. Sed, cum magnas quantitates materiae eiiciat, intra unum miliardum annorum velocitas minuitur. Centum fere milia annorum transiguntur, per quos pulveres electi paulatim adaggerantur; in parte propiore soli et calidiore formantur quattuor planetae saxosae (Mercurius, Venus, Terra et Mars), longius quattuor enormes nuclei attrahunt gasum circumiectum fiuntque quattuor magnae planetae (Saturnus, Iuppiter, Uranus et Neptunus). Terra nata est. Universum habet annorum decem fere miliarda.

\*  
\* \*

Ecce historia mundi explicata intra paucas lineas. Num sit res nimis simplex, an nimis pulchra, quam ut vera sit, an nimis hypothetica, disputare licet. Democrites dixit omnia oriri e fortuna et necessitate. Hodierni scientifici de originibus plura narrare valent, non possunt omnia explicare. Illa ingens displosio originalis, unde facta est? Cur? Fortuito? An Deo volente? Cur materia superavit antimateriam? Et displosio illarum supernovarum: donum caeli? Donum Dei? Donum aleae? Donum tamen, sine quo hodie non adessemus, non telephoneremus, autocinetum non gubernaremus, ordinatum non tractaremus, neque ambularemus, neque amaremus, neque cogitaremus de finibus nostris.

Hubertus Reeves in diario c.t. «Sciences et Avenir» (Parisiis, Nov. 1997) narrat quandam aliquando dominam, postquam acroasin audivit a Stephano Hawking factam, oratorem his verbis allocutam esse: «Mythologia Sinica de origine mundi multo plura scit quam nos: nam universum est testudo, ingens testudo.» Tunc Stephanus Hawking: «Atque in qua re posita est haec testudo?» «In alia testudine», respondit domina. Ille candide rogavit, in qua re haec alia testudo posita esset. Tunc irata domina: «Te, inquit, te perspectum habeo! Testudines sunt usque ad imum.» Nos quoque nescimus, quid sit sub testudinibus sive sub scientia nostra. Progredientes semper novas res, novas explicationes, novas testudines invenimus; sed nemo scit, num aliquando explicationem explicationum invenire possimus. 🐢

# DE CREATIONE

SCRIPSIT STEPHANUS FEYE

**S**essio nostra superior Bruxellensis fuit vivacissima. Qua de causa? Quod materia electa, i.e. *creatio*, non committere non poterat ut verum surdorum dialogum suscitaret in Domo Latina. Atqui, sicut id scimus omnes, surdi alta voce simul plurima verba proferre solent. Macte! Optima exercitatio Latina! Pergamus igitur, idque faciamus calamo, exspectantes sessionem proximam ubi germana eruptio fiet. Ergo venite omnes. De rebus enim politicis tractabimus!

Surdorum dialogus? Minime! Caecorum potius. Nam nullus ex nobis pro certo dicere audebat se spectaculo creationis adfuisse, excepto Moyse qui infeliciter, propter aetatem fortasse (aut propter res politicas, nam est etiam legislator) impeditus est ne veniret. Utinam adsit proxima occasione, ut eius longā experiētiā rerum politicarum fruamur. Temporibus enim democratico-vegetigalissimis nostris, perdifficilis videtur ars populorum bene gubernandorum!

Sed ad oves nostras, i.e. ad creationem, redeamus. Primum autem mihi videtur necessarium suo quidque loco collocare. Etsi vehementer demonstrare volo doctrinam de creatione antiquam nullo modo attinere ad investigationes scientificas hodiernas, et quamvis adfirmem plerosque homines, scientificos aut alios, valde errare cum de creatione (sensu traditionali ac antiquo) loquuntur, non mihi tamen umquam fuit in animo investigationes scientificas ipsas irridere vel deprimere neque earundem utilitatem infitari. Namque fatebor enim, nihil re vera scio de theoria c.n. Big Bang, nec de evolutione, de scientia biologica, ne de vitaminis quidem, nec denique de novissimis rebus geneticis inventis. Nihil scio, sed reveor, et sine dubio saepissime his omnibus fruor. Ea iam sint manifesta inter nos!

Secundo, alia res perspicua nobis est facienda si volumus confusionem cum ingentem tum tenacem evitare. Pertinet ad historiam:

Est enim animadvertendum Ecclesiam, olim omnipotentem, a nonnullis saeculis cogi invitam paulatim regredi ob progressus magis magisque triumphantes scientiae modernae. Cum omnes conatus Ecclesiae ad impetibus illis obstandum

bene noti sint, hic eos non describam. Solum autem causa alta divortii illius mihi videtur, si minus ignota aut male nota, at certe imperfecte inspecta ab aequalibus nostris.

Scientia hodierna orta est a repulso naturali contra Ecclesiam, quae omnem scientiam profanam vetabat. Hoc non licet iam negare. Hodie autem doctissimi inter eos, qui doctrinam sacram defendere volunt, aut simplicius omnes qui, religioni suae corde astricti, recte quantumvis confuse textus antiquos pretiosa continere sentiunt, talia proferunt: «Textus sacri tractant de rebus spiritualibus. Minime enim agitur de scientia. Solum agitur de fide, de imaginibus poeticis, nullo modo de factis veris.» Quibus verbis «impii» viri scientifici, valde gaudentes, respondent: «Cur hoc non prius dixistis? Idem autem et nos confitemur a multis saeculis. Tandem, tandem assentimini. Gratias vobis agimus!»

Sic rixa certe vitata est. Sed ut verum dicamus, quaestio nullo modo soluta est, nisi illis qui in nubibus bene se habent!

- Fides enim, quae est?

Responsum hoc esse solet: «Fides est fides. Fides non interrogat. Fides credit. Fides demonstrare non vult.»

- Bene. Cui debeo credere?

R: «Doctrinae religionis.»

- Unde orta est?

R: «In prophetarum vel apostolorum testimonio condita est.»

- Ah! in testimonio quodam. Hoc interest. Tandem exstant testes. Ergo illi sciunt. Nonne illi igitur scientiam habent?


R: «... illi... ita... habent... certe.»

- Ubi sunt?

R: «Necati sunt!»

Veritatem tibi dicam, optime lector: religio olim scientiam veram possidebat. Sicut omnis scientia, illa habet principia sua, finem suum. Habet hypothesin suam. Quae hypothesis probanda est, confirmanda est *experiētiā*. Probatio illa est unica obrussa, qua rectores religionis efficere poterant ne nobis remaneret nihil aliud nisi scientiae sine fide (i.e. profanae et impiae) atque, eodem tempore, religiones sine sapientia ulla, sine scientia. (Nota





bene: religio nostra tantum Sanctos veneratur, nullos Sapientes iam!).

Si igitur tantā ferocitate ac violentiā religio positiones condicionemque suam defendere voluit, causa est dilucida atque facillima intellectu: scientiam suam perdiderat. Ei tantum imagines scientiae remanserunt. Et cleri id perfecte sciebant, qui vocabulum «scientiae» (i.e. Graece γνῶσις) legebant scriptum 29 occasionibus in Novo Testamento. Visne unum exemplum? «Vae vobis legisperitis, quia tulistis *clavem scientiae*, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis.» Feliciter verba haec non sunt mea, sed alterius cuiusdam, quem... sacerdotes necaverunt. Vide Evang. sec. Lucam, XI 52.

Cum autem Marxismus adfirmaret: «Religio est opium populi», nemo ex cleris potuit respondere: «Error! Religio docet scientiam quae facile confirmari potest experientiā!» Ecclesia nullum testem iam possidebat!

Oportet nunc ad creationem ipsam veniamus, i.e. ad conditionem scientiae. Moyses dixit: «In principio creavit Deus caelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua...» (lib. Gen. I 1-2). Eugenius Philalethes (XVII saec.), auctor permirus Anglus, de hac terra scribit hoc: «Est substantia mollis, instabilis, non composita permeabilis vacuaeque «crasis» sicut spongia vel fuligo. Re vera eam vidi...»<sup>2</sup>. Et paulo post: «Hoc est arcanum maximum: quod igitur minime licet secundum naturam rei ipsius publice declarare; sed in opere magico illud contemplari possumus, et illius ipse

testis ocularius fui».

Textus igitur hic subaudit mysterium creationis multum differre ab omnibus, quae omnes saepissime solemus imaginari. Oportet enim sciamus Antiquos minime curavisse ut mundi huius in quo habitamus perfectam notionem acquirerent. Eum enim saepe putabant describebantque mundum exteriorem, transitorium etiamque immunditiam quandam in quam homo exsul, post culpam originalem e paradiso depulsus, proiectus erat.

Ergo si aliquid scire, deque creatione, i.e. de poesi<sup>3</sup> loqui volumus, nobis est, meo sensu, in primis studendum textibus sapientium. Quorum librorum, etsi obliorum reietorumque a scholis aut religionibus publicis, numerus amplior est quam multitudo putare solet. Et, res mira, omnes libri illi semper consentiunt! Qua de causa innumerabilia exempla hic proferre possum.

Haec tamen sufficiant. Cui enim curae est hoc mysterium creationis, hoc mysterium verbi divini, ei certe plura dicam aliquando; aliis autem nec persuadere nec taediosus esse volo. Attamen, ne accuser quod solum auctores antiquos citem, testimonium hodiernum afferam: «Creatio de qua agitur est, procul dubio, Magnum Opus Alchemystarum, et nulla res alia. Nam Moyses educatus erat in templis Aegyptiorum; huius memores simus.»<sup>4</sup>

Non canimus surdis (Vergilius, Buc., X 8)

#### ADNOTATIONES

- <sup>1</sup> Symbola ante paucas septimanas conscripta est. Interea sessio iam facta est (die 13 m. Dec.). Et fuit vivacissima!
- <sup>2</sup> Lumen de Lumine, in *The works of Thomas Vaughan (alias Eugenius Philalethes)*, Londinii, ed. Waite, 1919, pp. 276 sqq.
- <sup>3</sup> Poesis: nonne in libro Genesis scriptum (II): «Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεός» unde ποίησις? «Vocabulum autem *poesis* unicum est quo utebantur Graeci ad sensum *creationis* transferendum». Op. cit. infra, p. 41.
- <sup>4</sup> Emmanuel d'Hooghvorst, *Le Fil de Pénélope*, Parisiis, La Table d'Emeraude, 1996, p. 29. Auctor Melissae lectoribus non est ignotus. Videte enim symbolam c.t. «Chromis et Mnasylos in antro...» in fasciculis 70 et 71. Illo tempore libri huius editionem tantum praenuntiare poteramus. Hodie vero iam facta est. Eruditi, me suadente, statim eum ematis ut deliciis eius fruamini. Nam inopinate fere exhaustus est! ■

# BALDUINUS CABILLAVIUS

(1568-1652) E S.I. POETA LATINUS

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

**I. P. Franciscus Geubels e S.J., *Elogium  
P. Balduini Cabillavi Antverpiae in domo  
professa defuncti 13 Novemb. 1652  
e codice manu scripto edidit Theodoricus  
Sacré***<sup>1</sup>

Saeculo XVII<sup>o</sup> provincia Iesuitarum Flandro-Belgica (quam dicunt) poetarum piorum, qui Latine scripserunt, erat feracissimum; eadem enim, ut Hosschios, Wallios, Becanos protulit, qui per saecula duo et quod excurrit, toto fere orbe terrarum lectitabantur, in sermones vernaculos vertebantur, ad imitandum proponebantur, ita minores ex ordine genuit poetas, qui hac quidem aetate parum leguntur, suis vero temporibus magnorum in re litteraria virorum laudibus commendabantur. Hos inter non ultimum obtinet locum Balduinus Cabillavius Iprensis, quod Hosschius viam quodammodo monstravit qua ille gloriam assequeretur. Cognoverat enim Cabillavium Hosschius adulescens, cum in gymnasio Iprensi erudiretur, eiusdemque libellos assidua, ut opinor, opera deinde imbibit; hinc factum ut Lacrimae S. Petri Hosschianae (anno circiter 1649<sup>o</sup> scriptae) Magdalenam Cabillavianam (1625) aliquatenus redoleant; huc accedit quod et Jacobus Wallius (Cortraci 1599 - Antverpiae 1690), sacerdos gloria poetica secundus ab Hosschio, in eadem domo interdum vixit, in qua Cabillavius, ut alterutrum alterius legisse versus et iudicavisse facile credas...

Quae cum ita sint, haud inanem laborem suscipimus, cum Cabillavium nobis proponimus ab oblivione vindicandum. Itaque ut vita sacerdotis moresque pluribus innotescerent viris, elogium, quod in Cabillavi memoriam superior domus professae Antverpiensis conscripserat atque id quidem paucis post viri obitum diebus, in lucem primum edidimus, carminum Cabillavianorum delectu in proximum Melissae libellum reiecto.

[f. 104r] P. Balduinus Cabillavi natus Ipris anno 1568 Novembris die 10, Societatem ingressus est Tornaci 8. Septembris anno 1592. Studuit in saeculo litteris humanioribus per annos quinque<sup>2</sup>, Philosophiae operam dedit annis duobus<sup>3</sup>,

Theologiae vero in Societate Lovanii tribus<sup>4</sup>. Sacerdotio inauguratus anno 1600 die 20. Decembris, quatuor vota professus anno 1611 22 Julii<sup>5</sup>. Humaniora docuit annis quinque<sup>6</sup>, quibus studiis per totam exinde vitam singulariter deditus fuit. Per annos quindecim scholarum praefectum egit<sup>7</sup>, ministrum tribus, superiorem Casletanum quatuor<sup>8</sup>. Inter quas aliasque occupationes missionarius etiam fuit annis 45.

Cum anno 1612 sub festa natalitia ex Iprensi Collegio ad territorium Casletanum missus esset, tantos fervore pietatis, functionum nostrarum exercitiis, zelo indefesso fructus collegit, ut cum iis simul animos omnium sibi Societati conciliaret; nobilium enim praecipui missionem illic stabilem rogandam decreverunt; qua impetrata et convenienti dote confirmata iterum eo P. Balduinus Ipris destinatus est ut mansionem illic continuam aliquot sociorum institueret eosque ut superior gubernaret; cui adscribendum id etiam est quod brevi exinde tempore publicis sumptibus Casleti constitutum sit collegium atque fundatum.

Reliquis annis quos ibidem ipse traduxit, vitam sane Apostolicam instituit, strenuus omnino operarius, summis infimisque acceptus. Sincera bonitas, sui neglectus, et aliorum cura hanc ei gratiam venerationemque apud alios pepererunt. Cum remotior a domo in aedibus nobilium comedere cogeretur, lautiores respuebat cibos, vilioribus non contentus tantum sed ultro quaesitis. Unde et ova (quibus in summa quoque senectute octogenario maior crudis etiam et incocctis vescebatur) ei in deliciis erant. Quod cum ei ioco religioso aliquando obiceretur, reponebat maioris esse aedificationis ova comedere quam ovorum pullos aut perdices; cuius cum maxime studiosus esset, apud externos eam longe commodis suis anteponebat. Unde istud ei apud socios crebro in ore: «bene aedificemus». Caeterum uti mensae illum suae perlibenter adhibebant primarii, ita eam ipse piis, doctis, religiose facietis colloquiis veluti sapido quodam iure condiebat; et quidem saepius de recta filiorum institutione, famulorum delectu curaque, de sacra confessionis et communionis frequentia, de quotidiano



conscientiae examine sermonem publice instituebat, et privatim ad ea filios familias famulosque, ubi opportunitas aderat, hortabatur. Quod si et in via rusticos haberet comites, ad eadem instigabat obviosque pueros pro ratione temporis primis fidei rudimentis instituebat. Laboribus missionum non confici, sed refici videbatur: adeo crebros et frequentes subibat. Dominicis festisque diebus excurrebat ad pagos, et non raro in duobus tribusque eodem die dicebat, totque conciones etiam septuagenario / (104v) maior lubens admittebat, quot ne validis quidem iuvenibus superior ausus fuisset imponere. Itaque homo id aetatis plures fere leucas, non raro quatuor vel quinque pedes conficiebat; cumque adhuc bis uno die de passione Salvatoris et quidem horis quaternis quinisve disservisset, vesperi redux rogatus a Superiore an non defatigatus esset, «minime», inquit, «mi pater; sed et in crastinum ad tantundem me addico». Immo cum sic vice quadam bis eodem die de passione sermonem habuisset, domi deinde ad lavandas lances se contulit et, altero qui ad id venerat dimisso, solus id muneris exegit. Et vero saepissime, postquam semel in oppido semelque extra illud in pago die uno esset concionatus, redibat ante prandium et vel ad mensam legebat vel alia officia domestica obibat, ad quae semper promptissimus erat, uti et frequentissimus in purgandis ollis. Neque contentus bina per hebdomadam scutellarum lotionem, singulis fere diebus lavantes adiuwabatur, a quo opere nec cessare voluit cum hic Antverpiae versaretur essetque annorum 85, et oculis laboraret, cumque lances ipsas an detergeret essent visu non satis possit [sic!] discernere, ad antliam sese conferebat, eamque versando recentis aquae copiam, ad implendam deinde fornacem, hauriebat.

Verum ut ad coeptos superius missionis labores revertar, nulla ab iis aurae malignitate absterrebat: immo si quando superior eum ob coeli intemperiem itinerumque difficultatem domi manere vellet, ipse contra instare, petere obnix, fervide urgere ut sibi fieret excurrendi potestas. Nullis molestiis percellebatur, etsi non raro eas fuisset expertus, cum fallente per lubrica vestigio vel in fossas aqua plenas vel in vallem ex monte Casletano praeceps esset delapsus; sed et genuum tenuis nonnumquam per aquas (quibus impeditae viae erant) incidere visus est, cum diceret asellum aquis gaudere iisque libenter innatare. Et accidit aliquando, ut cum ad concionandum serius venturum se timeret et vel rivus transvadandus vel circumlegendum iter esset, misso per diverticula socio, ipse compendio per aquas bene profunde transierit, et sicut erat madidus cathedram conscenderit, per quam cum illa

diffliuerit [sic!] viri fervorem frigida liquido demonstrabat. Inter eundum si colloquendi cum externis rudesque instituendi deesset occasio, recolebat quae legerat vel scripto neglectim annotaverat; cumque per viam chartulas illas adversarias laceraret idque saepius ab eo factitatum esset, et illae vento in segitem [sic!] essent delatae, autumnno praeter expectationem infrugifero, rustici qui id viderant vel fragmina dimidiatis verbis ac male pictis characteribus consignata deprehenderant, carmina magica rati eam sterelitatem [sic!] incantationibus P. Balduini adscripserunt. Quae fama cum increbresceret, monitus superior fuit ut invigilaret et gliscenti rumori obviam iret. Sed brevi in risum fabula vertit et sua patrem bonitas et innocentia absolvit./

(105r) Auxit etiam amorem apud alios ac venerationem cum tot aliis argumentis probata cognitaque et apud domesticos viri virtus [esset], quam accurata imprimis regularum observantia comprobabat. Mane infallibiliter hora quarta surgebat, etiam cum pridie ad pagos concionesque excurrisset, diem a Deo per orationem feliciter auspicaturus. Quam consuetudinem in ultima quoque aetate ad finem usque vitae constanter servavit. Votorum studiosus observator, paupertati sic erat addictus, ut ne imaginem quidem, nedum aliud quicquam penes se servaret; castitatem oculorum custodia commendabat, quos ita demissos habebat, praesertim cum feminas alloqueretur, ut eas etiam quibusque occasio saepius in missionibus agendi, ne de facie quidem nosset: unde accidit non raro ut cum aliis quam putabat tractaret. Obedientiae cultor eximius, nutum quoque superiorum observabat, neque aggrediebatur quidpiam de quo non ante cum iis egisset, in id maxime semper intentus ut ad eorum concilia mentem quoque suam accommodaret. Si quando nimis instanter petere ab iis quidpiam visus sibi fuisset, statim ac si delictum esset veniam humillime petebat sensumque eorum approbabat; et erat sane reverens superiorum agebatque cum iis magna veneratione, ac gratias rependebat cum de levi quopiam defectu ab iis admoneretur, atque emendationem humillime spondebat; sed et preces ac plerumque rosarium pro correptione veluti pro beneficio referebat. Atque hoc suavissimae vindictae genus non maioribus, sed et aequalibus et minoribus reponebat, si quando moneretur a quopiam vel reprehenderetur: erat enim caritatis fraternae cultor singularis, quam laedere numquam visus est aut modere [sic! = mordere] quempiam; et laesus ipse verbo aut correptus, vel silentio sese ulcisci solitus erat, vel modeste se subducere, vel preces animi minime offensi testes addicere.

Atque ut erga alios benignus, sic adversus seipsum durus et asper, ad gravia ac molesta corpus obfirmarat: nudo capite et calvo quidem per ardentis aestivi solis radios proficisci atque eodem intacto frigida tempestate nimbos excipere, frigidamque ultro infundere et pedes a gelu nivibusque rigentes habere, nec calefacere, ab aquis habere madidos, nec siccare, ludus ei erat. Certe asperrima etiam hieme ut ad ignem accederet aegre ei poterat persuaderi, idque fere nec faciebat nisi vel petente vel iubente superiore, quod et ultimis vitae annis sollemne quoque ei fuit. Ceterum foco adsidebat rarissime, adstabat solum / (105v) et quidem pone assidentes, colloquendi gratia potius tempore recreationis quam calefaciendi. Manica numquam utebatur, etsi hiems esset perfrigida; calvo capiti adeo senex ut pileolum induceret induci ipse non potuit, nisi superiorum auctoritate ultimo fere anno vitae: quod fecit quidem conatu parendi maiore, quam fovendi capitis voluntate. Et si ferre videretur, non perferebat tamen, adeo saepe tegmen illud vel perditum erat vel dilapsum. Thoracis ei nullus usus, subuculae tantum hieme, neque tum semper.

Caetera quae perpessu aspera videntur ipse ut suavia amplectebatur. Quare cum Galli agro Casletano extremam vastitatem minarentur atque urbi imminerent, et varii e collegio alio mitterentur, alii missionem peterent, ipsumque adeo senem ablegandum Rector iudicaret, instanter ipse flexis genibus lacrimisque profusis obtestatus est sibi ut in miseris istis persistere liceret, ad ardua quaevis atque calamitosissima sese paratum esse: contestatus insuper eam (ut ipse interpretabatur) fugam aetati suae indecoram esse. Sed parendum necessitati fuit, quamquam pridem ante quae passus adversa fuerat quaeque tolerantiam eius egregie exercuerant, virtutem quoque ad maiora adarmabant. Nec defuere morbi multi et graves, quos in charta ipse consignatos reliquit, inter quos podagra, chiragra, ischias, et incursum tertio a solis variolis vitae periculum, quibus tertio laboravit anno etiam aetatis 65; ad quae diu postea [sic!] accessit surditas triennalis. Interim hoc in eo mirandum: post tot labores, indefessa studia, morbos, senem adeo valentem ac robustum fuisse. Sub ultimos tamen vitae annos oculis laborare coepit, cataracta, ut vocant, visum omnem propemodum intercipientem; cui etsi bis remedium aliquod allatum videretur, videre tamen ipse non perrexit, quamvis a missae sacrificio nec sic quoque potuerit prohiberi; quod cum de Domina memoriter teneret<sup>9</sup> atque sacerdos alter adstaret, ad extremum usque offerre perrexit. Neque istud minus admiratione dignum, in ultima etiam aetate ad mortem usque ita ei constituisse iudicium atque memoriam, ut et discursus integros atque

cohaerentes pertexeret et, cum in vetere ac recentiore historia esset versatissimus, pari atque unquam felicitate audita olim lectaque recenseret.

In Bibliotheca Scriptorum Societatis<sup>10</sup> memoria illius his verbis celebratur: «Habet nomen ex merito poetae elegantis, facilis ac foecundi: nullam scientiarum intactam reliquit. Historiarum et materiarum omnigenarum amator et collector admirabilis et incomparabilis. E vena poetica produxit Lemmata novo-antiqua<sup>11</sup>, epigrammata<sup>12</sup> de multis relictis, Magdalenam<sup>13</sup> elegiaco carmine, et Magdaleam silvam carmine vario, Epistolas Heroum et heroidum<sup>14</sup> carmine elegiaco; habet ad pluteum affecta quamplurima, et editioni parata.» / (106r). Haec ibi. Quibus adicio eum non ante commentandi dictandique quam vivendi finem fecisse. Denique cum scientia coniunctus mirus quidam pectoris candor atque sinceritas, fuci omnis ac simultatis expers, carum omnibus amabilemque reddebant. Interea bonitatis simplicitatisque nomen cum refugeret, simpliciter tamen bonum indoles bona faciebat, et licet vir bonus audire nollet, erat tamen. Quod et in morte eius superi comprobare visi sunt; quo enim die colitur Sanctus Homobonus, ipse quoque ad meliores pluresque discessit, nempe 13 Novembris anno 1652 sub horam quartam vespertinam, continua dierum octo febris confectus, omnibus Ecclesiae sacramentis tempestive munitus, et in ultimo agone Patrum fratrumque praesentium votis precibusque adiutus. Ubi litterae de morte illius Casletum allatae sunt, statim fama territorium omne pervasit excitavitque iteratas ac summas in omni ordine hominum de viri virtutibus meritisque laudes atque praeconia. Qui enim de eo loquuntur locutique sunt saepissime cum adhuc viveret, alii eum indefessum operarium, alii Apostolum, alii virum sanctum, alii eximium sui contemptorem appellant; et honoratus quispiam acrisque iudicii vir audita morte illius «Ego», inquit, «pro eo non orabo, quia sanctus est et sanctorum gloria ac felicitate haud dubie modo perfruitur.»

R[everentiae] V[estrae]  
servus in Chr.o  
franciscus Geubels<sup>15</sup>

(106v) Elogium P. Balduini Cabillau  
1652

#### ADNOTATIONES

- 1 Cod. 6485 Bibliothecae Regiae Bruxellensis, ff. 104-106.
- 2 Insulis et Duaci.
- 3 Duaci in studiorum universitate, quae eum magistrum artium renuntiavit.
- 4 An. 1597-1600.






- <sup>5</sup> Insulis.  
<sup>6</sup> Antverpiae, Brugis et Bergis S. Winoci.  
<sup>7</sup> Bergis S. Winoci (1602-1610) et Casleti (1617-1619; 1624-1627).  
<sup>8</sup> An. 1613-1617.  
<sup>9</sup> Id est officium Missae in honorem Deiparae.  
<sup>10</sup> Cfr. *Bibliotheca scriptorum Societatis Iesu ...* a Philippo Alegambe Bruxellensi ... (Antverpiae, 1643), p. 52.  
<sup>11</sup> Ipris 1614.  
<sup>12</sup> Antverpiae 1620, 1634, etc.  
<sup>13</sup> Antverpiae 1625.  
<sup>14</sup> Antverpiae 1636.  
<sup>15</sup> Franciscus Geubels Bruxellensis e S.I. (obiit Bruxellis anno 1667), superior domus professae Antverpiensis. 28

## DE ARANEA NIGRA (II)

A. 1842 SCRIPSIT IEREMIAS GOTTHELF, IN LATINUM CONVERTIT NICOLAUS GROSS



Plerisque iam suboluerat araneas esse molestias a malo effectas, quibus monerentur, ut pactum servarent, necessarioque Christinam plura scire de hac re, eam non omnia sibi dixisse, quae egisset cum viro viridi. Nunc iterum virum viridem tremebant, non iam irridebant, tremebant dominum suum mundanum; si iis satisfacissent, quid dicturum dominum sacrum, num permissurum, num nullam poenam de se capturum esse? Sic sollicitati agricolae auctoritate praecellentes congregati sunt in horreum desertum; Christinae autem veniendum fuit, ut clare panderet, quanam egisset.

Venit Christina, efferata, ulciscendi cupida; nam denuo torquebatur ab aranea crescente.

Cum vidisset adesse viros paventes, mulieres deesse, statim narravit, quae sibi facta essent: quomodo vir viridis celeriter postulasset, ut ipsa fidem exsolveret sibi osculum pignori dedisse, quod se non maioris aestimasset quam alia; quomodo sibi postea ex eodem loco aranea excrevisset infernali cum dolore ex eo momento temporis, quo primus infans baptizatus esset; quomodo ab aranea, modo cum secundo infante baptizando illusum esset vir viridis, se tormenta infernalibus patiente partas esse araneas innumerabiles; nam se sescentos dolores mortiferos passam sentire virum viridem non impune posse illudi. Nunc araneam recrescere, dolorem augeri, neminemque scire, quam atrox foret calamitas ingruens, quam atrox ultio equitis, nisi proximus infans addictus esset viro viridi.

Sic Christina narravit, ut corda virorum tremerent et diu nullus eorum loqueretur. Paulatim et gradatim e guttibus angore compressis soni edebantur abrupti, quos, si composuisses, eadem significare animadvertisses ac sententiam Christinae; sed nullus ex iis Christinae consilio singulari assensus est. Tum aliquis surrexit dicturus optimum sibi videri Christinam occisum iri, nam ea si occisa esset, virum viridem in eius morte acquiescere posse neque iam vivorum potentem fore. Tum Christina feroci cachinno sublato ad illum aggressa dixit: ut caederet, hoc sibi placere, sed a viro viridi non postulari se, sed infantem non baptizatum, et ut ab eodem notatam esse se, ita alios haud minus posse notari, qui sibi vim allaturi essent. Tum vir solus locutus manu micante consedit consilia aliorum tacite audiens.

Colloquio autem ibi interrupto, ubi nemo omnia dixit, sed omnis aliquid, quod parum valuit, convenit inter eos, ut proximus infans offerretur, sed nemo voluit hoc sua manu facere, nemo infantem portare ad acclivitatem ecclesiasticam, ubi fagi erant depositae. Nemo eorum verecundatus erat adhibere diabolum ad communem salutem, ut opinati sunt, sed nemo cupivit eiusdem faciem cognoscere. Tum Christina dixit se esse paratam ad hoc faciendum, nam si quis quid cum diabolo egisset, iterum agendo vix plus detrimenti caperet. Sciverunt quidem, quae mulier proximum infantem esset paritura, sed nihil de eo sunt locuti, patre absente. Postquam et verbis et sine verbis inter se communicaverunt, discesserunt.

Mulier juvenis, quae illa nocte funesta, qua Christina de viro viridi rettulerat, timida flevrat causae nescia, nunc erat paritura proximum

infantem. Illis, quae prius facta erant, ei neque animus neque confidentia allata est, cor eius cruciabatur angore ineffabili, quem neque orando neque confitendo abstergere poterat. Haec mulier sibi circumdata esse videbatur silentio suspicioso, nemo iam loquebatur de aranea, suspiciosi ei videbantur omnes oculi in se defixi eorum, qui computarent horam, qua infantis sui potirentur, ut diabolus sibi reconciliarent.

Sibi videbatur desolata et deserta esse coram funesta potestate, qua circumdata erat; a nemine adiuta est nisi a socru, pia muliere, quae stetit secum, sed quid anicula valet contra multitudinem hominum efferatam? Iuveni mulieri erat maritus, qui omnia bona bene promiserat; at, en, eum de bobus suis lamentantem, parum memorem miserae uxoris sollicitantis! Sacerdotem promisisse se venturum esse, quam celerrime, quam maturrime si advocaretur, sed quid fieri posse ab eo misso usque ad eum venientem; miserae autem mulieri nullus fuit nuntius nisi maritus proprius, qui oportuit sibi esset praesidio et custodiae, eademque muliercula misera insuper una cum Christina in eadem domo habitavit, earumque mariti erant fratres, neque mulierculae erant cognati, nam in domum venerat orbata!

Facile fingas, quanto angore animi vexata sit misera mulier, quae nemini nisi piaie socrui, quacum orabat, habuit fidem, quae, ubi inspexit oculos malos, statim minuta est.

Interim morbus adhuc versabatur, ne terror finiretur. Rarius quidem, hic et illic, bos cadebat, aranae apparebant. At ubi alicuius terror remissus est, ubi aliquis cogitavit aut dixit id malum per se deminutum iri et sane cavendum esse, ne peccaretur in infantem, exardescabant dolores Christinae infernales, aranea in altum inflabatur, ut ei, qui talia cogitaverat aut dixerat, mors novo impetu furoris saeviret in gregem. Ita, quo propior erat hora exspectata, eo magis videbatur calamitas augeri, ut cognoscerent sibi esse certo constituendum, quomodo secure et comode infantis potirentur. Maxime timuerunt maritum, taeduit ei vim afferre. Tum Christina studuit ei persuadere, quod contigit. Assensus est se nolle rem nosse, velle uxori morigerari, sacerdotem arcessere, sed non properare neque, quid fieret se absente, se interrogare; sic conscientiae satisfecit, Deo autem missis sacris voluit satisfacere et pro anima miseri infantis fortasse etiam aliquid posse fieri, fortasse eam ope pii sacerdotis posse redimi a diabolo, ut ipsi huius negotii non iam essent participes, debitis solutis, diabolo tamen emuncto.

Sic maritus cogitavit, quomodocumque res eventura esset, se, nisi in hac re ageret manibus propriis, nullam culpam contracturum esse.

Sic misera muliercula vendita erat inscia timide sperans salutem; consilio hominum quidem decretum erat, ut cor eius percuteretur; sed quid decrevisset ille sublimis et supremus, hoc adhuc tectum erat nubibus futura praeccludentibus.

**F**uit annus nubilosus atque tempestuosus; messe incohata omnes vires contendebantur, ut frumentum horis serenis ferretur sub tectum securum. Post meridiem tempestas venerat fervida, nubes capita nigra arrigebant super montes obscuros, hirundines anxie tectum circumvolitabant, miserrima autem muliercula sola domi versans valde angebatur atque sollicitabatur; nam ipsa avia foris erat in agro, ut ceteros adiuveret magis voluntate quam viribus. Tum bis dolore percussa sunt mulierculae ossa et medulla, oculi caligaverunt, sola erat sentiens horam appropinquantem.

Angore domo expulsata gravibus pedibus agrum aggressa mox non potuit, quin humum se demitteret; volebat vocem procul emittere, sed eadem non venit ex anxio pectore. Apud mulierculam erat pupillus, qui modo demum discebat pediculis uti, qui numquam in agro versatus erat propriis pedibus, sed semper brachiis matris impositus. Hic pupillus ut nuntius adhibendus fuit a misera muliere nescia, num ille agrum inventurus esset, num pediculis usque eo ferri posset. Sed pupillus fidelis, cum vidisset, quanto angore mater vexaretur, cursabat et cadebat et resurgebat, catta eius cuniculum persequente, columbis et gallinis eius pedes circumcursantibus, agno eius petulco ludente et saliente et se sequente, sed pupillus his omnibus non respectis sine mora fideliter attulit nuntium sibi mandatum.

Avia anhelans advenit, sed maritus cessabat; adhuc feni vehem esse exonerandam. Perlongo tempore transacto tandem maritus profectus est, iterumque tempore perlongo transacto lente viam ingressus est, et misera mulier metu mortis affecta sensit horam suam magis magisque appropinquare.

At Christina omnibus, quae foris in agro viderat, gaudio effusa erat. Cum graviter laboraret et sol vehementer arderet, aranea fere non iam arsit, ut Christinae res levis esse videretur. Laete laborem exanclavit neque festinavit domum ire, quia scivit, quam lentus esset nuntius. Eo demum tempore, cum ultima merges vehibus imposita esset et ventis repentinis tonitrua et fulgura indicata essent, Christina praedam suam appropriavit, quam sibi confirmatam esse putavit. Eadem domum iens ominose annuit nonnullis sibi obvenientibus, illi sibi annuerunt, celeriter

nuntium domum tulerunt; tum tremuerunt nonnullorum genua, nonnullae animae repente angore correptae orare voluerunt, sed non potuerunt.

Intra, in cubiculo, misera mulier quiritabat, cui minutae videbantur esse aeternitates, neque avia poterat gemitum finire orando et consolando. Quae ianuam cubiculi gravibus supellectilibus obstructam bene clauserat. Dum domi ambae fuerunt solae, pavorem sustinuerunt; sed miserae mulieres Christinam videntes domum redeuntem, audientes ad ianuam eius gradus submissos, audientes alios quoque foris gradientes et clam susurrantes absente sacerdote ulloque alio homine fideli, en videres quanto in angore essent quasi natarent in oleo aestuanti, et ope et spe carentes. Audiebant Christinam non cedere a ianua; misera mulier per ipsam ianuam sentiebat glori suae efferatae oculos igneos, ut urerentur corpus et anima sua. En primos vagitus infantis vitam annuntiantes per ianuam auditos, quam celerrime suppressos, sed nimis sero. Ianua raptim aperta est saevo ictu praeparato; Christina, ut tigris in praedam se proripit, sic se proripuit in miseram puerperam. Anicula, cum procellae invadentium se obiecerit, prosternitur, puerpera sancta sollicitudine materna corpus e lecto corripit, sed idem infirmum collabitur, infans est in manibus Christinae; atroci clamore ex intimo corde sublato matris anima deficit umbris nigris obvelata.

Christina cum infante egressa viri correpti sunt pavore atque formidine. Succurrit quidem iis suspicio fortunae formidulosae, sed nemo ausus est facinus prohibere, magisque timuerunt calamitates diaboli quam Deum. Sola Christina non timuit, fervida facie tam lucida quam victoris, qui pugnam superavit. Quae sibi videbatur ab aranea palpari leni titillo; fulgura, quae coruscabant circa se in via ad acclivitatem ecclesiasticam ferenti, laeta lumina sibi videbantur, tonitrua esse murmura blanda, tempestatem rabidam esse lenem auram.

Iohannes, miserae mulieris maritus, promisso suo perquam bene steterat. Lente via progressus erat, otiose omnem agrum intuitus, omnem avem oculis secutus, moratus spectans pisces saltibus culices capientes, usque dum tonitrua ingruerent. Tum instigatus est, ut progrediretur; celeribus gradibus processit prosiliturus; animo eius aliquid inquit, quo ageretur, quo capilli in capite eius horrerent: quod fuit conscientia, cuius morsu cognosceret, quid mereretur pater, qui prodidisset uxorem infantemque. Nam adhuc ei insedit amor uxoris et fructus corporis sui. Sed tum alia re retentus est, quae priore fortior erat, timor enim hominum, timor diaboli et amor eius rei, quam ille sibi potuit auferre. Tum iterum lentius

processit, tam lente quam homo ultimum iter faciens, ad locum supplicii capitalis. Fortasse revera ita fuit, praesertim cum haud pauci homines nesciant se ultimum iter facere; nam si scirent, aut non facerent aut aliter.

**S**ic hora processerat, dum Iohannes advenit Sumisvaldam. Nubes nigrae super Montem Mynnium rapide volitabant, graves guttae cadebant et pulvere restinguebantur, in turri campanula sono fusco monebat, ut Deum recordati precarentur, ne tempestatem redderet iudicium de se faciendum. Sacerdos autem stabat ante domum suam, paratus ad omnia officia praestanda, si a Domino suo super caput suum invehente vocaretur ad morientem aut ad domum ardentem aut in alium locum. Iohanne conspecto intellexit se vocari ad gravem rem curandam, veste succincta iussit nuntiare sacristae campanam sonanti, ut restem campanae alii traderet et adveniret ad se comitandum. Interea Iohanni apposuit potionem recreabilem, ut post cursum rapidum in aere aestuoso factum vere reficeretur; qua potione Iohannes non eguit, sed sacerdos non suspicatus est illum dolose agere. Iohannes potione cunctanter se recreabat. Sacrista autem tarde advenit et libenter particeps erat potionis sibi a Iohanne praebitae. Sed sacerdos ante eos stabat paratus aspernatus potionem, qua non eguit ad tale iter talemque pugnam faciendam. Haud libenter rogavit, ut desisterent a cantharo, quem apposuerat, haud libenter violavit iura convivae, sed cum novisset ius, quod altius erat iure convivarum, sacerdoti bilem movebat potio cunctabunda.

Se esse paratum, denique dixit, se exspectari a muliere sollicitante, cui superesset facinus formidulosum, sibi quoque armis sanctis sistendum esse inter mulierem et facinus ideoque illi ne cunctarentur, supra certe fore aliquid ei, cuius sitis infra non expleta esset. Tum Iohannes, mulieris exspectantis maritus, dixit festinato non opus esse, ab uxore sua omnia lente fieri. Mox autem fulgur illuxit cubiculum, ut omnes obcaecarentur, superque tectum tonitrua tonare coeperunt, ut omnis postis ad domum, omne membrum in domo tremere. Tum benedictione finita sacrista: «Audi» inquit, «qualis tempestas foris sit et quomodo caelum ipsum confirmet verba Iohannis, nobis exspectandum esse. Quid prodesset, si proficisceremur, non adveniremus superstites. Is ipse dixit non properato opus esse propter uxorem suam.»

Sane ingruere tonitrua et fulgura, qualia ex hominum memoria haud saepe fiunt. Impetus facti sunt ex omnibus praeruptis profundisque, impetus undique, omnium ventorum supra Sumisvaldam

coactorum, omnis nubes facta est exercitus bellicus, una nubes infesta incurrit in aliam, una nubes aliam occisura, inceptum est nubium proelium, tonitrua fiebant, fulmina iterum iterumque disiungebantur, iterum iterumque iaciebantur in terram, quasi permeatura mediam per terram ad alterum terrae latus. Nec desinebant tonitrua mugire, procella ululabat furiose, disruptum est gremium nubium, deiecta est aquarum maxima vis. Proelio nubium tam repentine exorto sacerdos sacristae neque responderat neque consederat, subiit animum eius sollicitatio, quae magis magisque augebatur, impetu captus est se in elementa furentia proripiendi, sed comitum causa cunctabatur. Tum sibi visus est per tonitruum vocem horribilem audire mulieris quiritationem, qua ossa percuterentur. Tum subito intellexit se cunctatum tonitribus a Deo terribiliter increpari, profectus est, nihili faciens verba aliorum. Ad omnia paratus ingressus est in tempestates ardentissimas, in procellas saevientissimas, in nubium aquas abundantissimas; ceteris lente atque inique sequentibus.

Venti fremebant, strepebant, aestuabant, quasi instrumentis horum sonorum in unum confusis fieret tuba ultima, qua nuntiaretur interitus mundi, in vicum decidebant mergites igneae, quasi omnis casa esset accendenda; sed minister illius, qui vocem dat tonitribus servumque habet fulmen, non debet timere conservum eiusdem domini, et qui ingreditur vias Dei, bono animo vitam suam committat tempestatibus divinis. Itaque sacerdos intrepide per tempestates accessit acclivitatem ecclesiasticam, arma sancta secum tulit, cor eius fuit ad Deum. Sed ceteri non simili fortitudine secuti sunt, nam cor eorum non fuit in eodem loco; noluerunt descendere per acclivitatem ecclesiasticam, ipsa in hac tempestate, ipsa in nocte intempestiva, Iohanni autem specialis causa fuit, qua nollet. Rogabant sacerdotem, ut reverterentur, ut aliis viis ingrederentur, Iohannes noverat propiores, sacrista meliores, ambo monebant aquarum in valle redundantium, pratorum inundatorum.

**A**t sacerdos non audivit, eorum sermonem neglexit; promotus impetu mirabili tamquam alis precum suarum impositus approperebat acclivitatem ecclesiasticam, pedes eius nullo lapide offensi, oculi nullo fulgure obcaecati sunt; tremuli autem, longe ab eo remoti, re sanctissima, quam sacerdos ipse gessit, obtecti, ut putaverunt, Iohannes et sacrista eum secuti sunt.

Iisdem ante vicum, ubi in vallem demittitur acclivitas, subito sacerdos constitit et manum su-

pra oculos sustulit. Infra sacellum in fulguris lumine nitet penna rubra et sacerdos oculis acribus videt e nemore viridi eminere caput nigrum, in quo nutat penna rubra. Diutius cum spectaverit, in acclivitate ulteriore conspicit trucem speciem cursu rapidissimo quasi venti impetu vehementissimo advolantem ad caput obscurum, in quo vexilli instar nutat penna rubra.

Tum sacerdos conflagravit sancto impetu pugnandi, quo, ubi primum malum suspicati sunt, corripiuntur ii, qui corda habent Deo dedicata, sicut granum seminis corripitur instinctu vitae in se invadentis, sicut flos eodem invaditur, ut dehiscat, sicut corripitur heros, si hostis gladium sustulit. Qualis homo sitiens in fluctus fluminis frigidulos, qualis heros in proelium, talis sacerdos rapide se demisit de declivi, se proripuit ad pugnam audacissimam faciendam, se pressit medium inter virum viridem atque Christinam infantem manibus alterius imposituram, iis voce sonorissima interpellavit tria nomina omnium sanctissima, sanctissimam rem attinens ad faciem viri viridis, infantem aspergit aqua benedicta, simul Christinam. Tum horribili ululatu sublato vir viridis avehitur, tamquam virga ruboris flammei aufertur coruscans, usque dum a terra devoretur; Christina, cum aqua benedicta sit attacta, atroci cum sibilatu marcescit tamquam lana igni indita, tamquam fomes aquae iniectus, sibilans, flammam agens corrugatur in araneam nigram, tumidissimam, formidulosissimam faciei suae insitam, una cum ea corrugatur, sibilando in eam transit, quae nunc veneno abundans, contumax medio infanti insidet, sacerdotem aspectans rabidis oculis coruscantibus. Is eam aqua benedicta aspergit, ut stridor audiatur quasi lapide calido aqua profana consperso; aranea magis magisque augetur, pedes suos nigros latius latiusque porrigens super infantem, aspectans sacerdotem duris oculis etiam trucidioribus; tum is religiosa sua fide ardentissima firmatus eam comprehendit manu audaci. Sibi videtur manum immittere aculeis fervidissimis, sed immotus comprehendit, malam bestiam abiecit, cum infante apprehenso sine mora ad matrem appropinquat.

Pugna sacerdotis finita, desinit etiam pugna nubium, quae reproperaverunt in cameras suas opacas; mox tranquillo lumine stellarum micuit vallis, in qua brevi ante saevierat proelium furiosissimum, sacerdos spiritu fere exanimatus domum properando advenit domum, in qua matri atque infanti illatum erat facinus nefarium.

Ibi mater adhuc torpuit, acuto clamore sublato anima eius defecerat; iuxta eam tremula sedit anus, quae adhuc confidit Deum potentiorum esse quam diabolum peiorem. Eo quod sacerdos matri reddidit infantem, reddidit vitam. Mater

resuscitata, simul ac conspexit infantem, tanto gaudio effusa est, quantum nemo novit nisi angeli caelestes, et sacerdos infantem matris bracchiis impositum baptizavit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; infans nunc in aeternum ereptus erat e vi diaboli, nisi se sua sponte isti traditurus foret. Sed contra istum servatus est a Deo, in cuius potestatem anima sua tradita erat, cum corpus remaneret veneno araneae imbutum.

Mox anima eius recessit, corpusculo tamquam usturis notato. Flevit quidem mater, sed, ubi omnis pars eo recedit, quo pertinet, ad Deum anima, ad terram corpus, ibi serius ocus praebetur solacium.

Sancto officio suo functus sacerdos coepit sentire insolitum pruritum manus atque bracchii, quibus araneam abiecerat. Vidit manum suam parvis maculis nigris obsitam esse, quae manifeste augebantur et intumescebant; ipse perfundebatur horroribus mortiferis. Mulieribus benedictis domum properavit; ut erat pugnator fidelis, arma sancta eo laturus erat, quo pertinuerunt, ut post se alli praesto forent. Bracchio altius intumesciente, nigris tuberibus altius altiusque inturgescentibus luctatus est cum fatigatione mortifera, sed non succubuit.

Cum ad acclivitatem ecclesiasticam advenisset, vidit Iohannem, patrem Dei oblitum, qui, ubi mansisset, nemo sciverat, media in via supinum. Eius facies fuit tumidissima et fuliginosa, in qua sedit aranea magna et nigra et formidulosa. Cum parochus venisset, illa se inflavit, truces horruere capilli dorsales, aspectavit eum trucibus oculis torpentibus et scintillantibus, cattae similis in faciem inimicissimi insulturae. Tum sacerdos benedictione armisque sanctis sublatiis effecit, ut aranea cohorreret, longis pedibus de facie nigra reperet, in gramina sibilantia evanesceret. Denique sacerdos domum iit, sanctissimum in loco recto deposuit, cum corpus eius doloribus saevientibus ad mortem raperetur, anima sacerdotis dulci pace exspectabat Deum, pro quo iuste pugnaverat forti pugna divina, nec diu sivit Deum eam exspectare.

At pax tam dulcis, qua Dominus tranquille exspectatur, nec fuit in valle extrema nec in summis montibus.

Ex eo momento temporis, quo Christina cum infante rpto de monte erat devecta ad diabolum, immani terrore commoti sunt omnes. In tempestate horrenda homines morte territi tremuerant, nam ex animo sciverunt, se, si delerentur manu Dei, hoc meruisse. Tonitribus et fulguribus finitis ostiatim nuntiatum est parochum infantem relatum baptizavisse, sed neque Iohannem neque Christinam visam esse.

Prima luce omnium facies pallidae fuerunt

neque sole pulchro coloratae sunt, nam omnes bene sciverunt nunc demum ventura esse omnium terribilissima. Nunc auditum est parochum mortuum esse tuberibus nigris obsitum, inventus est Iohannes facie nigrata, et de aranea nigra, in quam mutata esset Christina, audita sunt verba mire conturbata.

Dies fuit serenus, ad messem faciendam aptissimus, sed nulla manus mota est laboratum; homines concurrerunt, ut fieri solet die post diem, quo aliqua calamitas magna facta est. Nunc demum in animis suis trementibus vere senserunt, quid esset immortalis anima se redimere ab aerumna et tribulatione humana, senserunt esse Deum in caelo omnem iniuriam miseris infantibus inopibus illatam horribiliter ulciscentem. Itaque trementes constabant et querebantur; ei, qui fuit apud alios, non iam licuit domum ire, tamen rixae et lites in iis erant, unus culpam in alium transferebat, nemo non contendebat se dissuasisse et praemonuisse nemoque non assentiebatur noxiis poenam esse luendam, si quidem sibi suaeque domui parceretur. Si in hac terribili exspectatione et litigatione novam victimam innocentem invenissent, ne ullus quidem fuisset, quin spe propriae salutis nefarie ageret in eam.

**T**um media in multitudine aliquis clamorem sustulit, qui sibi videretur pedem posuisse in spina fervidissima, quasi pes ad pavimentum affixus esset clavo fervidissimo, medulla ossum suorum flammis perflueretur. Disiecta est multitudo, omnes conspexerunt pedem, versus quem manus clamantis est propulsa. At in pede sedit nigra et magna aranea, circumspectans torpidis oculis trucibus et malevolis.

Tum omnium riguit sanguis in venis, spiritus in pectore, visus in capite, et aranea tranquille et malevole circumspectabat oculis torpidis, et pes illius nigratus est, in corpore videbantur ignis et aqua inter se pugnare furiosa cum sibilatione; angore disiecta sunt vincula terroris, multitudo discurrit. At aranea mirabili cum celeritate sedem suam primam reliquit, super eius pedem, ad illius calcem cucurrit, ut corpora pervaderentur ardoribus atrocibusque clamoribus etiam vehementius fugarentur fugientes. Terrore mortis perfusi tamquam bestiae ferae a saevis venatoribus agitatae quam rapidissime accurrerunt casas suas nemoque non putavit post se esse araneam neque ullus ianua obstructa desiit tremere timore ineffabili... ☛

*(Textus completus libello edetur)*

# DE CANTU GUTTURALI

## SIBIRIAE MERIDIONALIS

NARRAT SAMIUS JANSSON

**C**antus gutturalis, qui ab incolis nonnullarum regionum in Asia Media colitur, peculiaris ars cantandi est, cuius tribus methodis et saltem quattuor submethodis cantori contingit, ut duplicibus vel nonnumquam prorsus quadruplicibus simul vocibus cantet.

Amplissima traditio huius cantus in Tuva (haec est res publica hodie ad Russiam pertinens) atque in Mongolia occidentali existit. In iis regionibus, quarum natura campis gramineis immensis et iugis montium constat, cantus gutturalis "chömei" vocatur ("ö" sicut simul "o" atque "e" pronuntiatur). Tali voce fundamentalis a cantore emissa, ut ex ea supersoni extrahi possint, efficitur "chömei-vox". Quod fit, cum partes oris et faucium varientur: duo vel tres vel prorsus quattuor soni distincti emittuntur, ex quibus acutissimo sono quasi e tibia efflato modulationes formantur, dum sonus fundamentalis continuus manet.



*Tuva in Asia Media tacet*

cantorem haud pluribus simul quam una voce cantare posse et proinde plures quidem cantores ad concentum multarum vocum requiri. Vox hominis nihilominus nunquam omnino pura et absoluta est. Res ita se habet, quod vox per tracheam et cavernulas ex pulmonibus translatur. Quia illae cavernulae nunquam duobus hominibus persimiles esse possunt, consequitur, ut duae voces plane similiter resonantes non existant. Vox cuique homini peculiaris modo ex sono fundamentalis ligamentis vocalibus emisso, modo ex sonis intra tracheam et cavernulas resonantibus originem suam trahit. Cum cantores Sibiriani partes gutturis comprimunt, quae ligamenta vestibularia appellantur, et formam faucium atque linguae variant, mirabiles et diversi generis supersonos edunt. Alii ex iis nihil sunt nisi stridor et susurrus, alii autem arguti, subtiles et dulces sibilumque tibiae in memoriam revocant. Plerumque supersoni vocales, nisi Sibiriano modo amplificati sunt, non distinguuntur sed potius concipiuntur sicut vocis qualitas uniuscuiusque peculiaris. Ceterum, supersonis efficitur, ut varias litteras vocales internoscamus. Constat enim litteras a, e, i, o, etc. aequa vocis altitudine pronuntiatas nihilominus dissimiles nostris auribus sonare. Ampliores autem supersoni paullo strictiore voce producuntur; id est: ligamentis vestibularibus constrictis. Eorundem ligamentorum munus est obviare, ne quid cibi vel potionis forte ad ligamenta vocalia aut intra tracheam perveniat. Atqui cantores, qui cantum gutturalem exercent, iisdem ligamentis etiam ad supersonos formandos utuntur.

### DE GENTIBUS, QVAE CANTUM GUTTURALEM COLUNT

Traditio cantus gutturalis iam pluribus saeculis apud gentes nomadas Sibiriae australis colitur, ubi nomine "chömei" appellatur. Variae gentes, quae aliquem modum cantus gutturalis sciunt, sicut Chacassi, Tuvani, Altaii, Mongoli, etc., Asiam Mediam habitant.

Historici antiqui nomades Asiae Mediae Scythas vocabant. Post Scythas Hunni - etiam nomades Sibiriani - duce Attila timorem apud Europaeos dispergebant. Postea Turci quoque magnas regiones Asiae sibi expugnaverunt ac sepulcra

QUID SIT CANTUS GUTTURALIS ET QUOMODO A CANTU OCCIDENTALI DIFFERAT

Homines occidentales arbitrari solent unum



inania passim in campis gramineis reliquerunt.

Medio aevo in iisdem regionibus ferocissimae legiones Mongolorum ab Tzingis-Chane et ab filiis eius collectae sunt. Ductu Tzingis-Chanis et centurionum eius Mongoli multa oppida Sinarum, Asiae Mediae et Europae omnino deleverunt incolasque saepe ad unum omnes interfecerunt. Europaei illos latrones Orientis "Tartaros" eo tempore vocare solebant.

Tradunt et cantrices et cantores Sibirianos olim eiusdem condicionis fuisse. Postea tamen fama vagata est cantum gutturalem mulieribus haud aptum esse: inde ergo ars illa paene tantum ab viris exercebatur. Tum enim feminae fetae, quae chōmei-cantui studebant, abortare credebantur. Post perestroicam et finem imperii Sovietici minores gentes Russiae subiectae spiritum suum recuperaverunt. Multae ex iis - praecipue Tuvani - arte cantandi ab maioribus tradita gentem suam unificatam sentiunt. Et moribus paullatim liberatis iam cantrices quoque chōmei-cantum iterum exercere coeperunt.



*Tuvani vestimentis patriis induti*

Antea pastores et equites Sibiriani, quorum opus saepe varietate carebat, se ipsos et suos cantu delectare solebant. Quia equo insedentes nulla secum nisi parva tantum instrumenta portare poterant, chōmei-cantus apud eos praecipue ars vocalis diu manebat.

Gradatim tamen varia instrumenta usurpabantur: ex. gr. byzaantzy-violā peculiari ita canitur, ut equisaeta arcus inter quattuor chordas implicata sint. Itaque arcus semper ad instrumentum adhaeret! Musicus violam in genu sustinet erectam, cum sedens ea concinit.

Quamquam greges musicorum Sibirianorum hodie saepe chordis, vocibus, tympanis etc. concinunt, tamen traditio cantorum singulorum usque sustinetur.



*Musici Tuvani et instrumenta. Laevo Anatoli Cuular tenet byzaantzy-violam, medio Radomir Mongush dyngur-tympanum, dextro Congar-Ool Ondar doshpulur-citharam.*

DE GENERIBUS CHŌMEI-CANTUS, QUIBUS TUVANI ATQUE FINITIMI EORUM STUDENT, ET PRAECEPTA AD EA ADDISCENDA

Tria imprimis genera cantus gutturalis Tuvana sunt: scilicet chōmei-methodus, caryra, et sygyt. Iidem porro saltem ad quinque submethodos variantur.

Verbum "chōmei" Latine "gutturale" significat, quo nomine cantus gutturalis in Asia Media generatim vocatur, ut supra dictum est. Simile autem nomen methodus quaedam unica capit, quae paulo simplicior aliis est. Hoc modo chōmei-vocem addiscere potes: si constrictis ligamentis vestibularibus vocem edis strictiorem (N.B.: licet stricta sit, eo fortiorem esse oportet) atque deinde subtiliter contrahas foramen labrorum, simul ac fauces et cavernulam oris apertas sustineas, cellam resonandi habes. Variatis positionibus linguae et labrorum mox praeter bordunam (id est, praeter vocem fundamentalem) supersonos tibiales sibilare discernes - primo scilicet exiguos tantum vel plane nullos. Neque tamen desperaveris. Fortitudo enim bordunae, quam paucissimi primo conatu pariunt, maximi momenti est. Si quotidie tamen vocem bene exercitaveris, aliquot post menses certe consuesces et validam tibi chōmei-vocem assumes.

"Sygyt" originem suam ex chōmei-methodo trahit. Ad eum addiscendum chōmei-vox tibi primum ore semiaperto edenda est. Si deinde linguam concavas, cavernulam inter eam et palatum habes. Apex linguae plane post dentes anteriores tibi ponendus est sicut liquidam litteram "L" dicas. Latera linguae ad dentes molares apprimenda sunt. Nunc fortassis animadvertis te non amplius vocem edere posse et miraris. Sin autem ita habes linguam positam, iterum cella resonandi tibi in ore est. Si nunc minimum foramen aliqua parte linguae aperias simul ac fortem, licet constrictam, vocem edas, praeter bordunam audies etiam supersonum tibiale et clarissimum. Hic supersonus mirabilis

reapse aequae clarus est atque sonus, qui auditur pulsato poculo vini! Nonnulli, qui haud antea eum audivissent, se vocem humanam audire vix credant. Primo conatu certe reperies difficillimum tibi esse linguam ita tenere, dum simul constrictam vocem edis. Attamen haec constricta natura vocis necessaria tibi condicio est sine qua nullos supersonos distinctos edere poteris. Talis enim vox, plus quam mollis et ordinaria, materiam ad supersonos cantandos continet.

"Cargyra" sonus est gravissimus: ut cargyram concipias, in animo finge vocem, quae similis est ac rugitus leonis et ululatus lupi et sonus raucus ranae omniaque haec coniuncta. Verbum Tuvanum "cargyra" latine significat "vox rauca". Etiam eam addiscere potes: priusquam loqui incipis, nonne saepe primum paululum grunnis et gulam screas? Hoc est artificium desideratum: nempe cargyra nihil est nisi grunnitus continuus et gravis. Necesse est hunc grunnitum ex profundissima parte tracheae oriri, quo fit, ut soni graves in pectore resonare incipiant. Supersoni variatis formis oris et linguae efficiuntur. Aliae methodi ex supra scriptis mutatis mutandis fiunt.

Traditio musica Mongolica fere similis est ac Tuvana. Mongoli cognoverunt methodos cantus gutturalis, quae sigito Tuvano et cargirae comparari possunt. Etiam Gioto-monachi Tibeti preces suas gravissimo modo cantant, cuius cargira Tuvana valde similis est. Monachi tamen non aequae multas variationes evolverunt ac musici Tuvani et Mongoli.

#### DE INTERNET-PAGINIS TUVANIS

Exceptis regionibus, ubi natus est, cantus gutturalis usque ad nostrum decennium fere omnino ignoratur. Tuva et Mongolia populis occidentalibus remotae et ignotae regiones manebant, donec finis imperii Sovietici exeunte proximo decennio effecit, ut nuntii inter Orientem atque Occidentem liberius quam antea transferri inciperent. Fama de Tuva et eius cultu musico peculiari in Occidente et praecipue in America Septentrionali vagata est de merito Ricardi Feynman, physici Americani praestantissimi, qui rebus

Tuvanis ardens studebat. Partim ob hanc rem in California societas nata est nomine "Friends of Tuva" (sive "Amici Tuvae"), quae nuntios de Tuva occidentalibus profert.

Dato lemmate "Tuva" vel "Friends of Tuva" quivis ad internet-paginas accessum habens in reti navigans multa argumenta de Tuva noscere multasque imagines de ea videre potest. Ibi reperiuntur indices phonodiscorum, quaestiones de Tuva et responsa (scilicet Anglice scripta), photographemata et prorsus specimina carminum, quae revera audire poteris, si modo computatrum tuum instrumentis audiendi instructum est! Etiam praecepta ad artem chōmei-cantus addiscendam reperies. Suadeo tibi, ut, nisi lemmate utaris, imprimis paginam aperias nomine "Frequently Asked Questions" sive "Res, quas homines frequenter quaerunt", (scilicet "<http://www.feynman.com/faq/tuva-faq.html>"). Ex hac pagina quaestiones et responsa invenies atque nonnullas etiam inscriptiones contextas, quae ad res easdem attinent.

#### LAUDATIO

Maximas gratias ago dominis praeclaris Thomae Pekkanen et Erico Palmén (Universitas Jyväskylänensis), qui textum perlegerunt et multa mihi consilia utilia dederunt. Dominus honorabilis Kerry Yackoboski (Universitas Manitobaensis, Canada) mihi permisit, ut photographemata eius sumam; pro eo beneficio ei gratiam debeo. Tabulam geographicam in interreti repperi. Nescio tamen, quis eam finxerit. Quicumque est, ei quoque gratias ago!

Domina Kaija Virolainen mihi consilia dedit ad computatra et programmata adhibenda. Ob hoc postremo etiam ei gratias maximas ago.

Cursus electricus: [sjansson@kanto.jyu.fi](mailto:sjansson@kanto.jyu.fi); pagina domicilia: <http://www.jyu.fi/~sjansson/index.html> (in qua exempla phonica cantus gutturalis audire potestis).

*Adnotatio editorum: infeliciter in nostra parva Melissa non fuit satis loci, ut longam bibliographiam a Samio Jansson propositam ederemus; si eam cognoscere cupitis, scribatis quaesumus ad eum.* ☛

### FINNICORUM NUNTIORUM LATINORUM NOVUM HORARIUM 26.10.97-28.03.98

ETIAM IN INTERRETI: [www.yle.fi/fbc/nuntii.html](http://www.yle.fi/fbc/nuntii.html)

**EUROPA** (Omnia tempora TU/TGM): *Sat Dom 20.53* 9875 kHz/31m / *Sat Dom 21.23* Eutelsat II-F1, 6135 kHz/49m, 963 kHz/312m, 558 kHz/538m, ASTRA/WRN-1 / *Dom Lun 03.23, Dom 05.53, 09.23* Eutelsat II-F1, 558 kHz/538m / *Dom 21.53*, Eutelsat II-F1, 6135 kHz/49m, 963 kHz/312m, 558 kHz/538m, ASTRA/WRN-3

**AMERICA SEPTENTRIONALIS**: *Dom Lun 02.23* CSpan/WRN1 / *Dom Lun 03.23* Galaxy 5/WRN-2 / *Dom 13.53* 15400 kHz/19m, 11735 kHz/25m

**ORIENS MEDIUS, AFRICA SEPTENTRIONALIS**: *Sat 21.23* Intelsat 707 / *Dom Lun 03.23* Intelsat 707 / *Dom 05.53, 09.23, 21.23, 21.53* Intelsat 707

**ASIA, AUSTRALIA**: *Sat 21.23* AsiaSat 2 / *Dom Lun 03.23* AsiaSat 2 / *Dom 05.53, 21.23, 21.53* AsiaSat 2 / *Dom 09.23* AsiaSat 2, 15225 kHz/19m, 9760 kHz/31m